



Exeg.

B.

1158

In V. J. 169.^{b.}

NAAMAN SYRVS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

AD

LOCVM DIFFICILEM

2 REGVM V, 17 - 19.

ILLVSTRANDVM.

AVCTORE

L. P. G. H A P P A C H

V. D. M.

ET PAST. ECCL. ALTEN-DESSAVIENSIS.



B R E M A E

APVD IO. HENR. CRAMERVVM 1774.

3767.

73

Quaedam exercendi tantum ingenii causa quaeruntur et semper extra vitam iacent: quaedam et dum quaeruntur, oblectamento sunt, et quaesita usui. Sic praefatur SENECA de beneficiis Lib. VI.

121



2 REGVM V, 17-19.

וַיֹּאמֶר נַעֲמָן וְלֹא יִתֵּן-נָא לְעַבְדְּךָ מִשְׁנֵי-
 צִמְרֵי-פְרָדִים אֲדָמָה כִּי לֹא-יַעֲשֶׂה עוֹד
 עִבְדְּךָ עֲלֶיהָ וּזְבַח לֵאלֹהִים אֲחֵרִים כִּי
 אִם-לַיהוָה: לְדַבֵּר הַזֶּה יִסְלַח יְהוָה
 לְעַבְדְּךָ כִּבְּאֵ אֲדָנִי בֵּית רַמְזָן לְהַשְׁתַּחֲוֹת
 שָׁמָּה וְהוּא נִשְׁעַן עַל-יָדָי וְהַשְׁתַּחֲוִיתִי
 בֵּית רַמְזָן בְּהַשְׁתַּחֲוִיתִי בֵּית רַמְזָן יִסְלַח-נָא
 יְהוָה לְעַבְדְּךָ בְּדַבֵּר הַזֶּה: וַיֹּאמֶר לוֹ
 לֵךְ לְשָׁלוֹם:



Quoniam praeter codicem hebraeum
 V. T. non alium habemus librum,
 hoc idiomate conscriptum, non ali-
 ter fieri potuit, quin plura in eius
 explicatione nobis restiterint difficilia. In lingua
 emortua, quum verborum sensui eruendo operam

A 2

nauas

navas, plurimum tibi proderit, si diligentissime verba eadem conferas, quoties occurrant. Ex eiusmodi collatione saepius sacrarum litterarum interpreti contigit verum huius vel illius termini inuenire sensum. In aliis linguis simili fato inter emortuas censendis, graeca et latina, quantum emolumenti exinde eius commentatoribus affluerit, vix fatis dici potest; propterea in hebraicorum verborum vero sensu inuestigando, si eandem calcas viam, operam perdere non est quod timeas. In studio hebraico nobis quidem non adeo licet esse felicibus, plures terere libros et verborum explicandorum sensum exinde protrahere verum, ceu in aliis, propterea tamen istum laborem superuacaneum esse cum quolibet sano te oportebit negare. Nam codex sacer hebraicus, licet modo sit vnicus, plurium tamen esse poterit loco, et sicuti in aliis, ita et hoc respectu thesaurus vocari meretur.

Huic labori iunge alium; et felix terminorum hebraicorum sensus eris indagator. Quem Grammaticae exhibet vsum, ne spernas. Mirum quantum adiuuat, maxime in hoc studio. Nunquam hic boni Philologi nomen tibi attribuere poteris eius armis destituto. Plus quam in vlla
 alia

alia lingua verba eius diuersimode formantur, flectuntur et mutantur; et, quod maxime notandum est, secundum has diuersas formationes plerumque et diuersus funditur eiusdem verbi sensus. Qui, quaeso! absque Grammatices subsidiis huic inueniendo eris aptus? Loco, quem explicandum sumsi, si eiusmodi labore, lucem quandam accenderim, eum vtilem et necessarium esse tueri pergam.

Antequam meam verborum ab initio positorum exhibeam versionem et explicationem, quid alii, alio alias lapide cohortandi interpretes super iisdem senserint, adducere atque perponderare fas erit. Historia Naamanis, quam concisim praemittere lubet, haec est. Celeberr. *Sann. Werenfelsius* scripsit dissert. de Naamane Syro ab hypocrisi vindicato, quae habetur in Opusc. Tom. I. Eius eruditione vtor ipsissimaque verba saepe apponere haud dedecet meliora reddere nescientem. Historiam Naamanis sic epitomat. Naaman Syrus exercitui Benhadadi praefuerat, vir strenuus bellicae scientia inclytus, magnae in patria existimationis, et ob insignem victoriam, qua singulari numinis auxilio salutem Syriae attulit, apud regem gratiosus, suis percharus et velut patris loco habitus. Tantam felicitatem non parum diminue-

bat, quod lepra corpus eius inquinatum erat, foedissima lue et humana arte vix sanabili, quae vero post salutem ipsi fuit. Forte vxor eius habebat adolescentulam quandam Israelitin, nupero bello a Syris captam, quae vbi de morbo domini audivit, coepit herae Elifaei prophetae Samaritani facta mirabilia laudare, neque dubitare se, quin eius opera pristinam dominus valetudinem recuperare possit: id cum coniux marito retulisset, quanquam negligenda videri poterat mulierculae peregrinae, credulae fortassis nimiumque gentem suam iactantis, narratiuncula: tamen Naaman, aut valetudinis recuperandae cupiditate, aut, quod verisimilius videtur, singulari providentia numinis admonitus, rem omnem ad regem detulit. Rex pro eo, quo Naamanem prosequeretur, amore, nihil cunctatus, eum ad Ioramum regem Israelitarum mittit, additis litteris, quibus petit, aut, ut tum res erant Israelitarum, iubet, quamprimum litterae in manus eius incidissent, Naamanem a lepra mundaret. Profectus ille magno famulorum comitatu, donisque magnificis assumptis, litteras Ioramo tradit: quibus ille perlectis cohorrui, vestes discidit, multum de iniuria a Syris facta conquestus, id agi, ut belli causa reperiat, talem

lem enim petitionem esse, quam praestare nisi deus nemo possit. At Elifaeus, audito regis terrore, ei significandum curat, nihil esse, quod tantopere timeat, mitteret modo hominem, se illum voti compotem facturam, intellecturumque famam de propheta Israelitico vanam non fuisse. Ergo Naaman, cum vniuerso equorum et curruum apparatu ad Elifaeum delatus ante fores eius constitit, vbi propheta ei per nuntium mandat, corpus in Iordane septies abluat, ita mundum a lepra futurum. Ridiculum hoc Naamani visum, quare indignatus sibique illudi ratus, putaram, inquit, exiturum diuinum istum, praesensque numen suum prius inuocaturum, post adnota manu lepram protinus discussurum: si fluminum aquis morbus abluui potest, non erat, vt huius profectionis incommoda susciperem; habet Syria, habet Damascus flumina, Abana et Pharphar, quorum aquae non minus ac Iordanis salubres sunt; iamque irarum plenus, abitum parabat, cum sui accedentes, pareat monito, hortantur, tametsi medium ridiculum videatur, leue esse tentandum facile, cum difficilius forte tentaturus fuisset. Recte monere videbantur; ingreditur flumen, huicque septies immerfus deprehendit extemplo sanatum corpus,

neque minus mundum, quam paruulorum esse solent. Sensit vim numinis, non enim Iordanis aquis hanc virtutem tribuere poterat; idcirco ad prophetam reuersus, simulatque in conspectum eius venit, deo primum, deinceps prophetae gratum animum testificaturus, illum quidem solum medicum suum agnouit, atque aperte confessus, nullum in toto terrarum orbe, nisi apud Israelitas, deum esse; huic vero munus obtulit, quod cum ille, deum obtestatus, accipere nollet, duo a propheta petiit. Primum, vt fibi detur **מִשָּׁנָה צֶמֶר - פְּרִיִם אֲרָמָה**, alterum vt deus fibi condonet, quod in fano Rimmonis adorauerit. Quid Naaman his petitionibus fibi mandauerit, demonstratum ire conabimur.

Prius petitum examini subiicere ordimur. Varie ab interpretibus verba intelliguntur, quibus continetur. Sunt, qui Naamanem *onus paris mulorum de terra* non fibi, sed **לְעֶבְרָךָ** seruo tuo i. e. Gehasi, seruo Elisaei, vt dari liceat, ex eo expetiisse contendunt. Hoc est: Nonne dabitur seruo tuo, i. e. Gehasi, munus huius terrae, i. e. auri argentique, quod secum aduexerat et digito quasi monstrabat. Metalla ista rariora terram dici volunt, quoniam exinde protrahuntur. An vero
haec

haec anxie nimis quaesita interpretatio stare possit, vide fis. Vix regulae hermeneuticae sufferent assertum, Naamanem eodem nuncupasse nomine seruum Gehasi, quo se ipsum coram Elifaeo insignit. Naaman se ipsum appellat vs. 15. עבר Elifaei, et mox post verba in vs. 17. idem de se repetit nomen ad submissionem testificandam et honorem, quem Elifaeo vult haberi, commonstrandum. Obscurissime Naamanem locutum esse, nisi vis concedere, nec petitionem istam in gratiam Gehasi esse factam, statuere poteris. Quis enim obsecro! cum Naaman vs. 15. Elifaeo, *accipe*, inquit, *munus a seruo tuo*, scilicet, a me, Naamane; et cum in nostro loco pergit, *nonne dabitur seruo tuo*, et statim addit, *non enim faciet posthac seruus tuus*, scil. ego Naaman, *holocaustum aut sacrificium diis alienis*, quis erit tantus Apollo, ut diuinare possit in comm. secundo sermonem esse de Gehasi, cuius in gratiam petit Naaman, ut sibi permittatur ei dare munusculum; cum tamen ipse Naaman in priore et tertio commate est subiectum, quod vocatur עבר. Quod si Naaman nostro loco petitionem fecisset pro Gehasi, potius dixisset לנער. hoc enim נער est appellatiuum, quo Gehasi vs. 20. distinguitur. Praeterea vs. 17. si

עֶבֶר iste esset Gehasi, secum ipse constare non
 posset. Prius enim et posterius huius versus mem-
 brum connectuntur per voculam וְ. Qualem
 iam relationem haberet posterius ad prius, si ita
 interpreteris: *nonne dabitur seruo tuo* (Gehasi)
 munus hoc? nam ego seruus tuus (Naaman)
 posthac non faciam holocaustum aut sacrificium
 diis alienis. Idem esset ac si dixisset; non colam
 posthac deos alienos, ergo dabo seruo tuo Gehasi
 munus. Nisi alio modo cultum veri dei exhibere
 voluisset, ipsum idolis vale dixisse, nemini per-
 suasisset. Tandem hoc mihi notatu adhuc dignum
 occurrit. Vel permisit Elifaeus Naamani, ut da-
 ret munus Gehasi seruo suo; vel non. Si permi-
 sisset, Gehasi seruum, quod acceperit, punire
 nefas habuisset Propheta, nec Naaman, si וְ
 לְשֵׁלוֹם responsum putasset concessiuum,
 respectu huius sui petiti, non oblitus esset, id
 statim dare וְ Gehasi, quod ipsi expetierat de
 Propheta. Inspice quoque vs. 21. ubi ex quae-
 stione Naamanis ad Gehasi citato cursu ipsum in-
 sequentem facta, idem concludes. Si vero non;
 nec Naaman, quod Propheta prohibuerat, וְ Ge-
 hasi dedisset, siquidem praetextum Gehasi vs. 22.
 esse mendacium ipsi facile erat detectu. Propterea
 quod

quod in hocce nostro commate non de Gehasi sermo fit, apparet.

Sunt alii, qui Naamanem sibi ipsi aliquid a Propheta petiisse asserunt; id quod negari nequit et ex antecedentibus conceditur. Sed quid petierit et quem in usum, nodus est, qui diuersimode soluitur. Textus habet **משא צמר-פרדים, ארמה**. Aliorum sententiam et hic praemittere lubet. Vertuntur ista verba: *tantum terrae*, quantum duo muli portare possunt; vel cum *Bocharto*: *onus bigae mulariae de terra*, quantum videlicet rhedae a duobus mulis tractae imponi posset. Coniectura est, num Naaman terram sumendam petierit de domo prophetae, ut apella Ralbag vult, an de terra Israelitica in genere, ut alii sanius, cuius nil refert. Ista quidem versiones sensum verborum hebraicorum exprimere videntur; terminum **נש** enim significare *onus*, inter omnes constat. Roganti autem usum, in quem terra ista sit petita, mihi quidem non sit satis. Certe non ideo, inquit *Werenfels*: l. c. ut terra hac, in qua aqua ipsi adeo salutaris fuit, medicinae loco in patria vteretur, neque, ut terrae adeo sanctae partem domi haberet, quam tacite veneraretur, ut ii dicere debent, qui cultum reliquiarum hinc pro-

probare conantur. Diserte enim testatur, se post-
 hac solum Iehouam culturum, immo propterea
 terram hanc petit, quoniam non facturum sit am-
 plius **עולה זבח** holocaustum et sacrificium
 diis alienis, sed Iehouae soli; vbi nominibus
עולה זבח totus significatur cultus externus,
 ceu graecis verbis *ολοκαυτωμασι και θυσιαις*
 Marc. XII, 33. totus itidem cultus comprehen-
 ditur. Testatur igitur, se adhuc fuisse idolola-
 tram, sed posthac non amplius futurum, Deoque
 soli sacra et rem diuinam facturum; et propterea
 terram istam petit. Vnde non inepte plerique in-
 terpretes concludunt, Naamanem ideo petiisse
 terram hanc, vt sibi in cultu vnus dei esset adiu-
 mento, vtque haberet aliquid, **לעבור בו השם**,
 in quo coleret dominum. Non vt vetus glossa ha-
 bet, quasi *partem terrae sanctae Naaman secum tu-
 lerit, vt poneret in templo idolorum et supra eam
 consistens, deum, cuius erat terra, adoraret, ne
 offenderet dominum suum, si pariter non adoraret.*
 Quod ab omnibus hodie exploditur. Iudaei enim
 plerique in hac sunt sententia, petiisse Naamanem
 tantum terrae **לעשות מזבח בארצו**, ad fa-
 ciendum altare in terra sua. Ita Kimchi, Ralbag,
 Raschi, Abarbanel, quos sequuntur plurimi ex
 Chri-

Christianis, quae eorum sententia confirmari videtur Ex. XX, 24. vbi deus vult, vt Israelitae conficiant **מזבח ארמה**, *altare de terra*, vel *terreum*. Quare autem hunc in finem terram Israeliticam petierit, Raschi hanc reddit rationem, **שהיא קדושה**, *quoniam illa sancta*. Equidem superstitionis est, existimare, vnam terram alia sanctiorem esse: potest tamen, quod ad vsum atinet, ea sanctior dici, quae ad vsum sanctum est destinata: ad sacrificia autem et cultum diuinum terram Israeliticam ante alias destinatam fuisse, dubitari nequit, cum lex extra eam sacra facere prohiberet; quam legem forsan Naaman, vt se etiam in Syria, quantum posset, ad Iudaeorum ritus componeret, obseruare volebat; non quod ea tenebatur, quippe qui profelytus erat, eique, si altare struere, etiam sacrificare licuit, quod lege non nisi sacerdotibus permittitur, profelytis autem non minus licitum esse videtur, quam ante legem idem patribus familias licuit. Iudaei ipsi, quanquam **גרי צדק**, *profelytos iustitiae*, legi subiiciant, ab ea tamen eximunt **גרי תושב**, *profelytos inquilinos*, atque ab iis nihil aliud requirunt, quam vt septem illa Noachidarum praecepta obseruent, aut, vt aliis placet, id solum recipiant, se non culturos ido-

idola: talemque fuisse Naamanem, probant ex Sanhedrin, fol. 96. 2. נעמן גר תושב היה נבחר ארן גר צדק *Naaman erat Profelytus inquilinus, Nebusar Adan profelytus iustitiae.* Ad-
 di potest, ideo petiisse Naamanem terram Israeli-
 ticam, vt inde monumentum extrueret publicum
 fidei suae, atque mirabilis illius sanationis, quae
 in ipsa illa terra contigit, hocque medio in fide
 sua tanto magis confirmaretur, quotiescunque
 aspectu illius recordaretur beneficii diuini in ipsa
 illa terra praestiti: imo, si cui videtur, nonnisi
 hunc fuisse Naamanis scopum, nudum fidei monu-
 mentum erigere, non item altare struere, in quo
 sacrificaret, non admodum refragamur. Verbis
 enim: *non enim amplius* etc. Naaman non tam
 promittit, se deo sacrificaturum, quam eum cul-
 turum, vti per Synecdochen speciei intelligi pos-
 sunt, quoniam non apud Israelitas tantum, sed
 plurimas alias gentes (quae hunc ritum non qui-
 dem ex naturae dictamine hauserunt, sed a Pa-
 triarchis acceperunt) sacrificiis magna pars cultus
 diuini absoluebatur, solenne est in sacris litteris,
 vt cultus in genere ab isto actu appelletur. Vid.
 Esai. LVI. 7. Amos. V, 25. 26. coll. Actor. VII,
 42. 43. Prov. XV, 8. XXI, 27. Eccl. IX, 2, plane
 vt

vt etiam religionis actus in N. T. in quo sacrificia abrogata sunt, sacrificiorum nomine veniant. Matth. V, 23. Rom. XII, 1. Ebr. XIII, 15. 16. 1 Petri II, 5. Priorem, quae est Papicolarum quorundam; alteram, quae est eorum explicatio, quibus cum nonnullis Iudaeis saepius ineptire haud displicet, si explodendas autumas, nec annuere denegabo. Tertia et postrema meliori cum Minerva proponuntur; propterea et eis aliquantisper inhaerebimus.

Harum prior est, Naamanem petiisse terram Israeliticam, vt exinde extrueret altare; posterior, vt monumentum publicum fidei atque mirabilis sanationis suae. Infra patebit, vtramque cum petitione altera non bene coincidere. Quamcunque defenderis, superstitionis reum Naamanem accusandi iure neminem priuare poteris. *Werenfels* ipse hanc accusationem concedit; *Grotius* autem in annotationibus ad Luc. IV, 27. denegat: Quod, ait, terram secum deferebat, non erat supersticiosum; sed eo signo testatum volebat, illum ipsum a se deum coli, qui in terra Israelitica coleretur. Qui alterutram defendunt, Naamanem Profelytum inquilinum siue portae nominant, quem praecepta Noachidarum septem
ob-

obseruare oportuit. Quatenus haec praecepta fuerint, nisi alibi, in *Spenceri* de leg. Hebraeorum L. II, c. 2. ex Talmudicis doctoribus descripta leguntur. Horum nullum ab eiusmodi Profelyto sacrificia offerri debere inculcabat. Propterea Naaman Profelytus nec ad sacrificandum erat adstrictus. Sed concedamus, quod ex singulari religionis zelo facere voluerit; dubium restat, an ei licuerit? *Werenfelsius* quidem, ei, si altare struere, inquit, etiam sacrificare licuit, quod lege non nisi sacerdotibus permittitur, profelytis autem non minus licitum esse videtur, quam ante legem idem patribus familias licuit. Mihi non idem videtur, nam 1. subreptiue assumitur, quod ipsi propheta permiserit altare struere, quoniam responso Elisaei et negatiue explicari potest, hoc modo, abi, non est, quod de altari cogites; praetereaque de altari hic sermonem non esse post probabimus. 2. Nego consequentiam, quod noster cum Patriarchis eodem gauisus sit iure; etenim horum sacrificia, si *Hugonem Grotium* in libro longe praestantissimo, de religione Christiana, et *Spencerum* l. c. ut et nonnullos patres ecclesiasticos sequi fas est, erant instituti humani; Iudaeorum autem, tempore Naamanis erant diuini, hinc quo-

quo-

quoque ad ordinem diuinum facienda. Verum enim vero si cum sexcentis aliis ab Hug. Grotio et ceteris istis dissentis, nondum tamen euictum est, Naamani eiusmodi quid licuisse. Nam sacrificia offerre ius exclusiuum primogenitorum fuisse videtur, si alias verba Gen. XLIX, 3. יתר שנת hoc probare possunt: exinde tibi ostendere incumberet, quod Profelytus cum primogenitis sub promissione idem sibi ius attribuere licitum habuerit.

3. Hoc tempore Leuitis tantum permissum erat sacrificia administrare, et quidem nullibi nisi in Templo Hierosolymitano: Deut. XII, 5. 6. 11. coll. 1 Reg. VIII, 19. IX, 3. 2 Reg XXI, 4. 2 Chron. VII, 12. Si exempla contraria ex *Spenceri* l. c. L. I. c. 1. Sect. II. adducere in animo habes, caue obliuiscaris, quod viris, ceu idem ex *Theodoro* obseruat, pietate celebribus, cum nulla subesset idololatriae species et suspicio, est locus alibi sacrificandi concessus; quod autem in Naamanem difficile quadrat, vt qui secundum istas explicationes est recens Profelytus. Accedit, quod si et loca cit. sacrae script. leniorem admitterent sensum, tamen, si monumentis nonnullis veterum fidem habere fas est, plane erat prohibitum in exteris terris templum vel aram extruere. Ita *Cu-*

B

naeus

naeus de rep. Hebr. L. I. c. 8. Quod si forte quidam segreges Iudaei templum aliis in terris aramue extruxerunt reipublicae iura atque inuio- labiles leges temerauere. Extat in historiarum monumentis epistola Oniae ad Ptolomaeum et Cleopatram, in qua ille populares accusat suos, quod sanctuaria in Phoenicum vrbibus atque alibi con- didissent contra ius fasque. Sed ipse interim hand in minore culpa fuit, dum summi vatis Esai. XIX, 18. 19. oraculum ambitiosis coeptis suis praete- xuit falso, templumque in Heliopolitana praefe- ctura aedificauit. Non enim hoc fieri faluis cere- moniis potuit.

Sed omnibus hisce missis, ane eum super- stitionis indicio liberare poteris? Quod si ipsi lici- tum fuit sacrificare, quod si facere voluit, quare terram Israeliticam potius ac aliam hunc in finem sibi expetiit? *Mons. Rocques* dans la continuation des discours de M. Saurin, ex *Benj. Tudelensis* itiner. et ex *Augustino* de ciuit. dei L. XXII. c. 8. bina profert exempla, alterum de Iudaeis, alte- rum de Christianis, qui adeo superstitiose de terra Israelitica senserunt. Ille de Iudaeis in Persia de- gentibus, quod terram lapidesque ex terra Israe- litica deportandos curauerunt, vt Synagogam
coae-

coaedificarent. Verba eius haec sunt: Schephitib extat Synagoga, quam Israelitae ex Hierosolymitana terra et lapidibus constructam vocarunt Schephitib in Nehardea, p. 144. Hic de Hesperio quodam, Christiano, ita tradit: Acceperat ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertio resurrexit; eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur, scil. a spiritu malo quodam, qui in domo eius saepius tumultuabatur. Certe his exemplis notam superstitionis abstergere nequibus, nec celeb. Roques id facere conatur: attamen eam Syro nostro imputari posse refragatur; nam, hanc petitionem, statuit cum *Grotio*, cuius verba iam allegauimus, facere potuit, licet non crediderit, altare suum ex terra Israelitica extractum, deo acceptius fore, quam ex alia quacunque terra; potius id tantum exhibere voluit, quod deum verum, qui in terra Israelitica adoratur, colat. Nimis subtilis est distinctio, quam vt Naaman superstitione liber declarari possit. Quod si cum sano corpore et sanam in religione mentem nunc demonstrare volebat, alio modo, ac hoc, quo minimum ceteros Syros, nisi se ipsum, ex idololatria ad superstitionem, illa secundum *Baylium* adhuc

deteriorem, deduxisset, probare debebat. Omne id in religione superstitionem redolet, quo vel mihi, vel aliis persuasum eo, hanc istamue rem arbitrariam in cultu externo, alia, quae eiusdem naturae ac qualitatis est, esse sanctiorem magisque aptam ad id, in quod abhibetur. Iam, quaeso! quid magis aptum erat, Syros supersticiosos, sit, quod Naaman ipse excipiatur, reddere, quam terram ex Canaan afferendam iubere, ut altare inde extruatur, in quo sacrificia offerantur; aut aliud quodcunque monumentum, conversionis eius ad deum Israelis indicium, vel sanationis in terra Israelitica ipsi factae. In utroque casu terra ista fuisset fomes superstitionis inter Syros procreandae vel propagandae. Priori, hem! dixisse eos credo, terra nostra adeo sit profana oportet, ut ne sacrificia quidem altari ex illa constructo imponere audeat! Quid inde? si nos quoque deo Naamanis miraculis glorioso, cultum vouere volumus, terram ex Israele deportemus necesse est; alias enim sacrificia nostra ipsi haud accepta erunt: posteriori; idem superstitionis genus, quod in Papiolis, qui reliquias sanctorum, quia eis vim singularem inesse nullo modo sibi dissuaderi patiuntur, sancte deuoteque habent, culpamus, eos
in-

inuafiffe. Plebi, plerumque male perfpicaci, in-
 fuperque idololatriae erroribus imbutae, difficile
 eft discretu, num, quod Naamani euenerat, vi
 diuinae, an virtuti caufae naturalis, qua vfus erat,
 adfcribat. Sit, quod Syri magnitudine miraculi
 perculfi, fanationem Naamanis opus dei Israelis
 putarint, tanto magis, quod omnibus adhibitis
 mediis, irritis tamen factis, fcirent, nec in me-
 dico fuiſſe, nec in quacunque alia caufa naturali,
 vt lepraeger Naaman releuari potuiſſet, tamen
 facto Naamanis eos impulſos video, quod ipſius
 fanationem vel aquae Iſraeliticae, vel terrae, vel
 vtriuſque virtuti ſimul adſcriperint. De Tearo,
 fluuio Thraciae, *Herodotus* ita ſcribit: fertur ab
 accolis omnium annium eſſe optimus, cum ad
 alios morbos, tum ad ſcabiem curandam vel homi-
 num vel equorum. Eiuſmodi quid Syri forſan no-
 runt, et exinde in ſua ſententia ſunt firmati. Rebus
 ſic ſe habentibus, veluti hic, vel plane ignoro,
 quae cogitata plebs nutrire ſoleat, vel Syriacam
 ſic cogitaſſe concedes, quod ſcilicet huic terrae
 ſingularem virtutem tribuerint ſuaque ſanctiorem
 crediderint. Proprie quidem aquam ex Iordane
 hauſtam ſecum ferre, in memoriamque facti ſer-
 vare debuiffet. Sed quoniam aqua eiuſmodi vſui

non est apta, facile conceditur, in eiusmodi occasionibus alterum alteri substitui, maxime, si res substituendae adeo arcte sint nexae, ac aqua cum terra. Huc illucue verba haec et explanationes torque, nunquam plane inficiatum ire poteris, quod de hoc facto Naamanis idem, quod *Curtius* de superstitione, dici possit: esse humanarum mentium ludibrium.

Quod si itaque, quae diximus, ex minima tantum parte sunt vera, haud dubio duriores ab Elifaeo exaudiuisset Naaman responsionem ac illam: abi in pace! Quemcunque huic responso applices sensum, Prophetam superstitioni plus dedisse, quam par erat, sequetur. Omnis alius forsan parum superstitionis in Naamane nouo conuerso, vel, si placet, petito, quod aliis modo ad superstitionem exhibuisset occasionem, ferre potuisset praeter Elifaeum, cui superstitio abominanda cum omnibus suis sequelis non poterat esse ignota. Superfedebo vltiori indagationi explanationum alienarum, inutili, si, quam prolaturus ero, haud displicebit. Claudamus igitur riuulos alienos, proprios aperturi.

Vox **NUD** quidem est nomen substantiuum, significans *onus*, et deriuatur a verbo **NUJ**. Partici-

ticipium vero huius radicis in coniugatione Pihel
 simili quoque modo formatur, ceu ex quacunque
 institutione linguae sanctae sub analogis verborum
 defectiuorum prima radicali Nun notum erit. Ra-
 dix significat *ferre*, quod proprie et improprie in-
 telligitur. Improprie inter alia habet sensum *alere*,
pabulum dare, vid. Gen. XIII, 6. vbi de armentis
 Abrahami et Lothi, quod terra, in qua diuerte-
 bant, ea nequiret *ferre*, i. e. *alere*, *pabulari*; et
 hoc exprimitur verbo נָשַׁן. Exinde iam deriuo
 נָשַׁן per participium Pihel, *quod ferre potest*. Si
 dubium habes, quin נָשַׁן formationi participiū
 Pihel correspondeat propter Kamez sub וּ, in
 mentem reuoca, quod multum ventilata quaestio
 de antiquitate punctorum eis in fauorem decidi
 videatur, qui illa recentiora autumant. Et si noua
 via, medium quoddam teneri debere, quam Cele-
 berr. Dau. Michaelis docet, omnibus, quae cal-
 cetur, placebit, nec quidquam in illa inuenies,
 vnde nostro in loco נָשַׁן per participium Pihel
 reddi posse deneges. Cetera quae occurrunt verba
 explicatione non indigent; ista sola clauem toti
 Naamanis petitioni praebere poterit. Nostrum
 comma exinde verti debet: *Nonne dabitur seruo*
tuo, i. e. mihi Naamani, tantum terrae, i. e. ru-

ris, scilicet inter Israelitas, quantum sufficit duobus modo mulis ferendis, siue alendis. Tantum Naaman inter Israelitas versatus erat, ut ipsum non fugeret, possessionem terrae Cananaeae eis esse signum singularis erga se dei gratiae et pignus adhuc maioris expectandae. Agnoscebat gratiam dei Israelis in sanato lepra corpore sibi oblatam; illi nondum acquiescebat; in futurum etiam de illa securus esse meditabatur. Hoc non melius fieri posse credebat, quam si eadem pignora, quae ceteri Israelitae, teneret. Haec autem erant possessio terrae Cananaeae; propterea quoque in illa portiunculam quandam obtinere desiderabat. Nonne eiusmodi ager mihi dari potest? quaerebat petebatque ex Elifaeo. Nolim quod veteres migrent possessores, mihi que a patribus accepta linquant rura: sed adeo parvam te tantum rogo partem, quae duos mulos alere vel ferre potest. Forasanimo voluebat se totum cultui dei Israelis tradere, quod verba sequentia loci, quem tractamus, prodere videntur: Non faciet posthac seruus tuus etc. quae verba totum cultum externum significare possunt. cfr. Marci XII, 53. ceu ex *Werenfelsio* iam ante notauimus. Nil vetat itaque, quo minus Naaman eiusmodi petitionem protulerit; quia in
cul-

cultu diuino eadem cum Israelitis habebat iura. Num. XV, 14. eis in possessione terrae imparem esse dedecere se reputabat. Huic explicationi respon- sionem Prophetæ ex quocunque sensu consentire non est quod moneamus.

Insolens quidem videri potest descriptio partis terræ, quam Naaman sibi petiit, *quod sufficeret duobus modo mulis alendis*. Celeberr. Dn. Prof. Halensis, Sam. Murfinna, quem de ista mea expli- catione consului, mihi obiecit: quare non potius dixisset Naaman? sufficit tot hominibus alendis. Saltem exemplum quoddam afferendum fuisset, ex quo pateret, hac ratione ab alio etiam scriptore magnitudinem agri definiri. Verum, si quæ hic occurrunt, circumstantias perpendo, aliis verbis Syrum se exprimere nequiuisset, mihi quidem vide- tur. Quoniam Naaman se in Iudæam conferre vo- lebat ibi habitaturus, absque dubio et familiam suam secum ducere cogitabat. Quam numerosam fuisse prona suadet coniectura. Si igitur possessio- nem, quam petebat, ex numero personarum defi- nire voluisset, ita dicere potius debuisset: nonne dabitur mihi tantus ager, quantus personis, quæ ad familiam meam pertinent, alendis sufficit? Tali vero modo prodidisset, se ea tantum sub condi-
 B 5 tione:

tione in Iudaea Deum Israeliticum colere velle, si
 sibi possessio restitueretur, quam in Syria perderet.
 Si vero id prodere voluisset; et tamen hocce modo
 sese expressisset, *ager, qui duobus hominibus vel
 personis meae familiae alendis sufficit*: incommode
 dixisset. Nam quare tantummodo duos nominasset,
 nulla dari potest ratio. Vel nullius personae men-
 tionem facere debebat, vel totius familiae. Datur
 vero eiusmodi ratio, quando agri magnitudinem
 ad numerum duorum mulorum definiuit. Naaman
 erat vir longe ditissimus in Syria; vs. I. describitur
 גִּבּוֹר חַיִּל, qui est, si cfr. Ruth II, 1. 1 Sam. IX, 1.
vir dives agris et gregibus. In Syria igitur Naa-
 man quoque eiusmodi diuitias possidebat. Cum
 iamiam a Propheta agellum quendam ob causam
 adductam peteret, dicebat: non tantas possessiones
 cupio, quantas me relinquere oportet in patria
 mea, vbi maximos greges diuersi pecoris habeam;
 sed minimam tantum, quae pari mulorum sufficit
 alendo. Praeter haec quoque non adeo insolens
 est, vt magnitudo agri ad numerum pecudis defi-
 niatur. Apud nos adhuc non raro rusticum optare
 audimus; osi haberem tantummodo agellum, vnde
 par vaccarum nutrire possem. Licet iamiam eius-
 modi exemplum directum adducere non detur ex
 monu-

monu-

monumentis veteribus ; tamen simile quoddam haud difficile haberi potest. Iobus possidebat absque dubio multos agros atque prata ; attamen in eius historia horum nulla fit mentio. Numerus ovium, camelorum etc. relatus legitur : exinde concludere debemus ad magnitudinem regionis, in qua degebat et quae ei propria erat. Sic alia huc pertinentia exempla ex historia sacra et quoque profana accumulare possem. Id tantum monebo, sicuti nos dicimus de certis personis, quorum divitiarum quantitatem definire volumus, eos habere tantum tantumve numerum agrorum : sic istis remotis temporibus dicebatur de divitibus, eos habere tantum tantumve numerum pecoris. Cum ergo Naaman quantitatem agelli, quem a propheta petebat, definire vellet ; non aliter se exprimere poterat, ac fecit secundum nostram explicationem.

Duas alias insuper obiectiones idem vir doctissimus mihi struxit, quas quoque cum eius pace hic annectere eisque respondere necessum puto. Prima haec est : *Elisaeus agrum, quem ipse non habebat, non poterat alteri donare.* Verum nil refert, utrum propheta eiusmodi agrum habuerit et donaverit nec ne ? In fine de hoc adhuc aliquid dicitur. Quaestio istuc tantum vergit, utrum Syrus
eius-

eiusmodi agrum prophetam rogauerit? quod omnino affirmandum erit. Si post recuperatam sanitatem talem agrum possidere sibi vtile arbitrabatur, ita secum cogitauerit oportet: Elifaeus tantus vir, qui miraculo sanitatem mihi restituere potuit, et eiusmodi agellum donare poterit. Ergo rogabo eum; cum maximum donum mihi iam exhibuit, minus difficile non denegabit. Similem argumentationem Christus Iudaeis proponebat, Matth. IX, 5. 6.

Altera haec est: *Si Naaman agrum quendam, in quo habitare vellet, expetiisset sibi, non video, quare nullam obtulisset pecuniam ad eum emendum; certe! vir ditissimus eiusmodi donum non desiderasset.* Verum ex dictis apparet, quod hoc minime facere deberet. Quia sicuti ceteri Israelitae possessionem in terra Canaan habere desiderabat; et eam simili modo acquirere volebat. Israelitae vero habebant possessiones suas non pretio emtas, sed fauore diuino donatas. Hinc volebat Naaman, vt propheta sibi quoque eiusmodi agrum assignaret, ceu Iosua Israelitis assignauerat.

Alteram Naamanis petitionem nunc explicandam sumo; continetur vs. 18. Explicationes horum verborum, quae maxime somniis Iudaeorum, qui

qui

qui Naamanem vna cum vero deo idola colere vt sibi licitum sit, a propheta petiisse, vel tergiver-
 sationibus Iesuitarum, qui explicant, Naamanem
 petiisse, vt deus tacito animi cultu contentus
 saltem externam idololatriae simulationem sibi
 permitteret, debentur, et quae cuilibet sano risum
 indignationemue exprimunt, lubenter missas fa-
 cimus. Duae aliae sunt, quarum a qualibet parte
 stant viri omni Philologiae apparatus instructi.
 Non equidem ausim inter tantos viros omnem
 componere litem; attamen exhibebo, quem po-
 tissimum sequi optimae rationes suadent. Alii ex-
 plicant verba de tempore praeterito, sic: *Hanc
 rem condonet Iehoua seruo tuo, quod cum ingressus
 fuit rex in aedem Rimmon, vt sese ibi incuruaret,
 et innixus fuit manu mea, si tum incuruavi me in
 aede Rimmon, hanc incuruationem meam in templo
 Rimmon condonet quaeso Iehoua seruo tuo;* alii de
 futuro: *Hanc rem condonet Iehoua seruo tuo, quod
 cum ingredietur dominus meus in aedem Rimmon,
 vt sese ibi incuruet; et innixus est manu mea, si
 tum incuruabo me in aede Rimmon etc.* Prioris
 auctor et dux est *Bochartus*, vir magni nominis in
 republica litteraria, quam praeter paucos alios
 sequitur *Ligtfootus* ad Luc. IV, 27. et *Calmetus*

in der 29 bibl. Untersuchung. Posteriores versiones propemodum omnes vetustiores habent, eamque tuentur viri non minoris nominis, inter quos *Werenfelsius* in diss. iam cit. si defendi potest, exquisitissimo me hercle! eam defendit calamo. Hoc me non deterreat Bocharti sequacibus nomen dare meum. *Werenfelsius* utramque sententiam cum rationibus suis proponit: propterea eius telam sequi et ita, quid ego sentiam, ostendere optimum duco. Minime inficias ibo, utramque suis premi difficultatibus, quapropter ea, quae minimis obnoxia est et quae excusari possunt, erit eligenda.

Primum refutat Bocharti explicationem. Huius argumentum potissimum est grammaticum de accentus sede; et gerundium כבוא per praeteritum esse explicandum, praeterito sequente duplici נשען et והשתחית. Contra hoc argumentum noster pauca profert, quae autem istud haud destruunt. Appellat *minime invictum*, i. e. tale cuius contrarium iisdem armis euinci possit. Nec ego ei insistam, cum nemo negare poterit, omnem quemque, qui litteras hebraicas callet et qui haec verba extra contextum vertit, nullique variarum explicationum subscripsit, ea in praeterito esse

ver-

versurum. *Moshemius* quoque in notis *Calmeti* loco citato subiunctis, et *Dn. Rocques* l. c. eius vim concedunt. Attamen hoc non obstat, quominus illud fusque deque habeam, in eo consentiens cum *Werenfelsio*, quod omnino regulis istis, quae a Grammaticis nonnunquam pro lubitu finguntur, non nimium est fidendum, cum tanta sit in his minutiis, praeprimis si de accentuum sede est sermo, varietas, ut plane ad certas regulas redigi non possint.

Pari Marte cum itaque hic discedimus, quid porro obiiciat, inspiciamus et an locum habeat, discutiamus:

1.) Si de futuro, inquit, verba *Naamanis* intelliguntur, ordo totius sermonis eius est cohaerens. Habemus tali modo, primo eius fidei confessionem; dein exinde sequens propositum de deo vero solo in posterum colendo; tandem duplicem petitionem, quarum altera subsidium ad propositum exequendum, altera condonationem eius, quod in specie cum eo pugnare videbatur, petit. At, si de praeterito: Primo est fidei confessio, postea propositum fidem ipso opere demonstrandi; iam cogitatio de fidei monumento in patria erigendo et tandem, quod statim ab initio fieri de-

debebat, anteactae vitae recordatio, dolor de commissa idololatria eiusque a deo venia petita. Si non plane praeposterum, saltem non ita aptum ut praecedentem hunc vult ordinem. Nisi praeter hunc alius remouendus erit lapis, Hercule nec opus erit. Si nostra de priore petitione fiat explicatio, prior ordo plane decidit, quia manifestam inuolueret contradictionem. Infuper posterior quoque ordo non adeo est ineptus. Naaman in affectu loquens ceu omnes, qui illo pulsi loquuntur, non anxie et operose eiusmodi ordinem quaerebat verborum, et *υσερον πρωτερον* facere minus curabat.

2.) *Urget*: Quid opus erat mentionem iniicere regis et officii ei debiti? Si commissae idololatriae veniam petere voluisset; nonne ad excusationem atque ad diminutionem peccati haec omnia? Nonne, quaerit *Rocques*, qui idem ex *Werenfelsio* profert, alio tempore ac hoc quo regem comitatus erat; templum *Rimmon* est ingressus? Nonne, antequam regis in officio esse coepit, templum *Rimmon* frequentauit? Quod si hoc negari nequit, quare expressis verbis tantum eius peccati petit veniam, cum regem comitatus hoc templum est ingressus? Hic et ea statim apponemus

mus

mus, quae *Werenfelsius* 3. obiicit, quod tali modo non omnium sed vnius tantum peccati remissionem petiisset, et quidem leuissimi, quoniam non in honorem idoli sed ex officii necessitate fecisse videtur. Ferax idolorum fuit Syria, quae omnia, haud dubio, minore religione coluit, quam hunc Rimmon, immo vs. praecedente non obscure testari videtur, se non vni Rimmoni sed diis alienis seruiisse, cum se id posthac non amplius facturum pollicetur. Habuit Syria fana plurima, quae sine dubio est ingressus Naaman saepius et sponte et nullo vrgente officio et sine rege et priusquam ad hanc dignitatem est euectus, et postea ingressus est leprofus, vt fere rebus aduersis ad religionem propiores sunt animi, quo tempore regem comitatum non fuisse, verisimile est. Neque sola corporis incuruatione idola colebantur, habuerunt altaria sua, habuerunt holocausta, habuerunt sacrificia, quae Naamanem idolis obtulisse ex vs. praec. satis colligi potest, vt alios ritus et ceremonias taceam. Est et cultus internus animi, quem, quod peccatum erat longe grauissimum, Naaman idolis obtulit, cum frequenter alias, tum frequentissime, cum lepra inquinatus erat: quomodo enim ex mirabili sanatione agnouit Iehouam

C deum

deum Israelis solum verum deum esse, nisi idem beneficium a diis Syriae, ardentibus et saepius iteratis precibus, frustra petiisset?

Verumtamen omnes hae quaestiones sunt praeoccupantes, quae non tantum habent roboris, si aequae ac iuste perpendantur, quantum illis inesse putatur. Si Naaman remissionem peccati verbis ante animo conceptis ac praemeditatis rogasset, nec dubito, quin eiusmodi restrictione abstinuisset. Quum vero hic idem quod ante valet, quod scilicet in affectu fuerit locutus, haud perspicio, quo iure hanc restrictionem tantopere taxare velimus. Fingamus exemplum, quod illustret. Si Papista, qui nuperrime Roma venit, ibique annis vltimis elapsis sacra facturis non nisi aedem St. Petri ingressus fuit, nostrarum quandam accederet, nostram concionem exaudiret hacque spiritu diuino adiuuante permotus cultu romano se abdicare vellet; isque si illico concione nostra dimissa nos compellaret his verbis: persuasus sum, me hucusque me fefellisse; hunc vestrum deum colendi modum esse saniozem isto, qui Romae celebratur, conuictus sum. In posterum St. Petri aedem non amplius frequentaturus huic vestro coetui me addicam et eodem, quo vos modo deum colam.

colam. Si nos de huius Papistae sinceritate adeo essemus conuicti ac Elifaeus de Naamanis, ne in mentem quidem nostram venire pateremur de eo dubitare, quin toti cultui romano valedixisset.

Liceat nobis fieri paulo prolixioribus, et omnibus istis quaestionibus alias idem plusue valituras opponere poterimus. Nonne tunc temporis principum in aulis vlli irreligionarii sunt inuenti? Haec pestis omnibus seculis videtur fuisse fatalis. Certe plurimum reuerendus *ab Hemessen* in diff. super Pf. XXIX. nec Daudis aulam ea liberam fuisse euicit. Nonne igitur et Naamanem horum fuisse numero et cultum idololatricum non nisi ex officio ciuili, quando nempe cum rege suo sacrificante idem simulare ipsum oporteret, perpetrasse possibile est? Minime! regeris; nam promittit, quod non amplius facturus sit sacrificia diis alienis; vnde sequatur, quod fecerit Bene quidem! verum non ex religione fecit, sed officio ciuili. At forsan pergis: tali modo non opus habebat, vt adeo anxie huius peccati condonationem a deo sibi expeteret. Non opus habebat, concedo. At forsan Naaman cogitabat, ceu *Tertullianus* in lib. de Idololatria scribit: Si merum quis sacrificanti tradiderit, si verbo aliquo sacrificio necessario ad-

iuuerit, minister habebitur idololatriae; et hinc
 sibi opus esse credebat. Si his assensum tuum
 praebere denegas, aliis te implicabo quaestionibus.
 Multum versatus erat in rebus Israeliticis Naaman.
 Nonne iamiam ante sanationem corporis meliore
 quadam veri dei agnitione, quam trophaeum ex
 Iudaea in praecordiis secum reportauerat, erat
 imbutus? Non adeo absolum hoc mihi esse vide-
 tur, quia vs. 1. ita de eo כִּי בּוֹ נִתֵּן יְהוָה
 :תְּשׁוּעָה לְאָרָם: praedicatum, quo alias idolo-
 latrae insigniri haud solent; vid. 1. Sam. XIV, 45.
 et 2 Sam. XXIII, 10. Nonne igitur vanitate ido-
 lolatriae iamiam agnita eam ridebat, eiusque ce-
 remoniis simulando tantum, quod nunc temporis
 facilius est cogitatu de eo, cum nondum tanta
 cum solennitate cultui Israelitico se addixerat,
 quanta post coram Elifaeo, assistebat ex officio
 regi debito? Si hoc sufficientibus suffulciri posset
 rationibus, nam ex sacro codice in vtramque par-
 tem de hac opinione disputare licet; et quantum
 quidem scio, neminem mihi consentientem habeo,
 omnia, quae contra Bocharti explicationem pro-
 feruntur dubia, diffuenter; et quod plus est, re-
 bus sic se habentibus, petitionem hanc aliis verbis
 proponi nequiuisse Elifaeo, probare conarer.

Alio

Alio nos aggreditur telo Werenfelsius. Si, inquit, verba probe perpendimus, huius rei vnice, sc: quod regem comitans fanum Rimmonis intrare necesse habuerit, veniam petere videtur. Quorsum enim hoc est, quod, posteaquam promisit, se imposterum nonnisi verum deum culturum, statim cum emphasi subiicit, **לדבר הזה** *hanc rem mihi condonet Iehoua?* Eaque narrata cum omnibus circumstantiis denuo repetat **בהשתחויתי** *in hac adoratione mea in aede Rimmon* **בית רמן** *parcat mihi quaeso dominus;* denique, vt ne quid aliud videatur petiisse, iterum addat **בדבר הזה** *in hac re?* Nonne satis hinc videtur, id vnum sibi curae esse, hoc vno se vrgeri scrupulo, huius tantum veniam petere, huius incuruationis in aede Rimmon, huius solius rei? Accuratius verba hebraica inspicienti verba **לדבר הזה** pro nostra re potius stare videntur. Nam hebraica haecce non ad subsequenter pertinent petitionem, sed sunt copula antecedentis promissionis, *non faciet posthac* etc. cum hac subsequente petitione, et in nexu sic verti debent: *Posthac alienis diis non sum sacrificaturus, nisi Iehouae; propter hanc rem, i. e. propter hanc promissionem condonabit, etc.* Tanto magis in hac sententia confirmor, quia in fine

repetita verba **כִּדְבַר הַזֶּה** constructioni verbi **סָלַח** contrariantur, vtpote quod semper cum **ל**, nusquam gentium autem cum **ב** construitur. Cum iam nil clarius est, quam quod haec vltima verba sint emphatica repetitio eorum, quae ab initio posita sunt, et cum iisdem eandem rem significant, nempe rationem, ob quam hanc posteriorem petitionem facit, et cum verba **כִּדְבַר הַזֶּה** a **סָלַח** regi nequeunt: exinde concludo, quod nec **לְדְבַר הַזֶּה** ab isto verbo regantur, sed sint copula antec. vers. cum hoc.

Haec nondum omnia sunt, quibus acuta contradicentium obiecta obtundere quimus. Si tu percontando instas, quare eius peccati tantum faciat mentionem, quod cum regem suum in templum Rimmonis comitatus esset, commiserat, cum tamen dubio procul Syria idolorum ferax eum saepius viderit intrare alia templa regem comitantem; quantum enim a veri specie abest, vt Naaman nullo alio tempore, quam quo regem comitabatur, et nullum aliud templum, quam Rimmonis, quo ex officio cum rege adesse ipsum oportebat, ingressus fuerit, tantum et abesse mihi quidem videtur, regem non aliud templum quam Rimmonis frequentare solitum fuisse; tanto magis,

gis,

gis, quod quaelibet idola specialem habebant cultum, quem Ben-Hadad idololatra quod neglexerit, vix ac ne vix quidem cui impones, cum ex mente idololatrarum cuiuslibet idoli fauor ipsis non est spernendus. Quod si igitur nostrae contrariam explicationem defendere conaberis, haud dissimiles tibi propono quaestiones resoluendas. Nonne alia rex Naamanis frequentauit templa, quam folius Rimmonis, quo Naaman ipsum comitari debebat? Nonne vbique cum rege esse ipsi necesse erat? Officium eius, quod Hebraei ita describunt: מֶלֶךְ נֹשֵׁן עַל יָדוֹ hanc praesentiam requirebat, cfr. VII, 2. 17. Nonne alios actus idololatricos rex peregit, vbi Naaman ipsi ministrauit? Nonne forsan regi sacrificanti merum tradidit? Nonne verbo aliquo sacrificio necessario adiuuit? Si haec negaturus ab omni verisimilitudinis via aberrat, quare, abs te iam quaero, Naaman modo הַשְׁתַּחֲוֹתָא mentionem iniicit, si de futuro est sermo? Nonne si de hac actione anxius erat et de ceteris esse debebat? Quaecunque responderis et nostris fauebunt partibus, quascunque harum quaestionum ostenderis resolutiones, iisdem et tuas obiectiones in te ipsum retorquere valebimus.

Nisi autophilia me fallit decepatrix, hanc explicationem optime stare vix dubitandi locus mihi est reliquus. Quapropter iudicio alias maxime aestumatissimi et in huiusmodi nodis euoluendis felicissimi Moshemii ingenioso, quod loco iam cit. legitur, suffragari detineor. Nempe Bochartum, vult, et qui eius praeprimis vestigia premit, Calmetum, nostram explicationem tutos fuisse, non firmis rationibus motos, sed pia quadam fraude inductos. Ille hoc modo Reformatos, qui in Gallia versabantur et qui, ne diris- simis persecutionibus vexarentur, se Romano-Catholicis assimilantes, missam frequentabant, se aqua lustrali inspergebant, coram hostiis genua flectebant et reliquos, qui inter eos sunt vsitati, actus religiosos externos minutissime obseruabant, nostri Naamanis exemplo utebantur, vnde sibi eiusmodi licita esse concludere volebant, omni excusatione priuabat. Hic contra Iesuitas idem quod ille contra Reformatos, hac explicatione efficere annitebatur; vtpote quod Reformati in Gallia, id Iesuitae in China, vbi externum Confucii cultum obseruabant, rectum aequumque haberi volebant probatione ab exemplo Naamanis protracta.

Re-

Restat nunc, vt aliorum sententiam, qui hanc petitionem ad futurum respicere tempus autumant, ponderemus. *Werenfelsius* paraphrasticè eam sic sistit: *Firma stat sententia, nullum me posthac numen, neque interna animi veneratione, neque externis corporis ceremoniis, nisi summum Israelis deum culturum. Id solum me sollicitum habet: exigit officium meum vt regem nonnunquam in sanum Rimmonis comiter, fierique potest, vt eo sese incuruante in honorem dei sui, ego me itidem incuruare cogar, si quando manu inniti vult, vt antehac consuevit: hoc si quando contingit, quoniam a proposito meo alienum videri possit, id quaeso mihi dominus condonet.* His firmandis ea adscribi debent quae *Grotius* l. c. *Quod de corporis procubitu in templo Rimmonis dicit Naaman, intelligendum ita mihi videtur, vt sit, non peccati, nondum perpetrati deprecatio, quod nemo sapiens admisit, sed potius interpretatio facti ambigui; nec non quae Chatelain in serm. sacr. ex vers. germ. Sammlung 2. p. 323, perorat, quibus tamen quoniam ad eundem tendunt scopum, describendis supersedemus.* Lubenti damus animo, hanc explicationem primo intuenti multa praebere veritatis specimina; maxime si priorem illam petiti-

nem intelligas de terra Israelitica ad altare inde struendum sumta. *Werenfelsius* hanc non iis difficultatibus obnoxiam esse, quibus nostra afferit; quaedam tamen inueniuntur, quae certe non adeo facile auerti possunt, ac ea, quae nobis contrariabantur: perpendamus, quid veri insit? Si pro futuro pugnas;

Primo: Grammaticae plus tibi obstat quam nobis. Equidem huiusmodi argumento non utebamur ad nostram causam defendendam, cum alia illi tegendae sufficerent, et ipse *Werenfelsius* eius vim non plane denegaret, appellando *non inuictum*, et ad hoc probandum talia adnotando, quae et mihi et tibi auxilio esse possunt: attamen hic iterum est monendum, Grammaticen minus fauere futuro quam praeterito.

Secundo: Neque illud obstat secundum expositionem nostram, inquit *Werenfelsius*, quod verbum *השתחוה* in vno eodemque versu, nunc pro religioso, nunc pro officio civili accipiatur. Vna enim eademque vtriusque verbi significatio est, incuruationem denotat, actionem physicam, quae si in honorem dei fit aut eius, cui diuinitas inesse creditur, cultus religiosus, si in hominum honorem, cultus civilis, Gen. XXIII, 7. XXXIII, 3. XLII, 6. si ad dominum sustentandum atque
iu-

iuuandum, officium est feruile. Varia huc occurrunt notanda, quae grauioris sunt momenti ac vulgo proclamantur. Id quidem verum est, verbum *השתחוה* et de religioso et de ciuili quodam officio adhiberi, sacra scriptura quam plurima suggerente exempla. Anne vero id dare licitum est, in vno eodemque commate eidem termino diuersas adscribere significationes? Perperam affirmabis. Quod apud Logicos fallacia in terminis audit, id in hoc sermone Naamanis inueniretur. De rege habet verbum istud significatum religiosum; de Naamane ciuilem. Elifaeus nesciebat tali modo, quo petitio Naamanis tenderet, vtrum ad adorationem religiosam, an ciuilem; hinc nec ipsi, abi in pace! apprecari potuisset. Et ipse Naaman postea proprio sermone in errorem se inducere potuisset. Sit, quod de se loquens cultum ciuilem intenderit, nonne postea, sincera animi ad deum Israelis solum colendum resolutione sopita, adorationem religiosam idoli a propheta esse permissum, sibi persuadere potuisset ipse? Tu quidem, sibimet ipsi dicere potuisset, petiisti tantum a propheta, vt deus tibi condonaret, si ex officio in fano idoli te incuruare te oporteret ad regem sustentandum; at verbum,

quo

quo ipsum istud rogavi, est fallax, admittit significatum religiosum; forsan propheta terminum sic excepit et tibi adorationem religiosam permisit in templo Rimmon. Faciam itaque, adorabo idolum. Multa sunt, quae eum incitare potuissent ad has cogitationes et eis similes actiones. Nec mireris velim, si te non latet, qui hominum a recta declinantium cogitata eant, et quam insulsis excusationibus sua errata aequae ac delicta obtegere soleant, nec impossibile esse eiusmodi quid cogitare fateberis. Loiolae discipuli nostris adhuc temporibus et alios et se ipsos eiusmodi fallaciis decipiunt. Insuper et hoc non omnino silentio est praetereundum. Si השתחוה Naamanis in nostro loco est cultus ciuilis, vel sicuti placet Werenfelsio, officium *seruile* ad dominum sustentandum atque iuuandum, nouus huic verbo affingitur sensus, quem nusquam locorum admittit. In coniug. Hitpahel semper significat, *adorare, incuruare se, procidere*, et est, si de officio ciuili intelligitur, signum honoris et reuerentiae, quod regibus aliisque magnae qualitatis hominibus offerebatur ab eis, qui in ipsorum conspectum veniebant; et fiebat sicuti Leigh in Crit. S. obseruat, vel caput inclinando, vel

cor-

corpus totum, vel curuandis genibus, vel subfido in poplites, vel, qui maximus est honos, procumbendo. Haec est vis vocis, quae vbiq̄ue regnat; quo modo igitur officium seruile ad dominum sustentandum vel iuuandum exinde deducere possis, minime perspicio. Si itaque et annuere vellemus, verbum istud admittere posse duplicem significatum in loco nostro, religiosum et ciuilem, quod forsā exinde asseri possit, quia ex verbis **נשען על ירי** concludere possimus, **השתחות** Naamanis de cultu ciuili esse intelligendum, nunquam tamen probare poteris, quod cultus hic ciuilis de officio eiusmodi seruili adhibeatur.

Tertio: *Werenf.* sensum huius petitionis Naamanis ita proponit, vt 1, declaret, se quicquid huius facere, non facere in honorem idoli, sed ratione officii domino suo debiti. 2, Petit eius concessionem, vt sibi hac in re munere suo consueto in posterum fungi liceat, aut, vt quibusdam placet, consulit deum per prophetam, sitne res licita, nec ne? vnde quaedam versiones verba Naamanis interrogatiue proponunt. 3. Orat deum, vt quanquam hoc habeat speciem peccati, vitio quorundam secus de actione sua iudicantium,
tamen

tamen tanquam peccatum ipsi ne imputetur. Nec haec absque animaduersione nobis dimitti possunt. Primum quidem transeat momentum, nam ex antec. iam diiudicari potest; cetera vero non item. Utile ei omnino esset, si verba ista interrogatiuam interpretationem admitterent, nam sic tota petitio esset informatio siue quaestio de facto ambiguo. Verum tali modo responsio Elifaei non quadraret in hanc interpretationem; etenim hac responsione Syrus sua ambiguitate non totus esset liberatus. Quod autem magis obstat, est, quod verba hebraica nullo modo interrogationem suadeant. Neque in initio versus, vbi יסלה occurrit, neque in medio, vbi iterum legitur, habetur particula interrogandi. Exempla quidem non sunt rara, vbi nota interrogatiua omittitur, maxime si paulo ante praecessit, sicuti hic in versu antec. וּלֹא יִתֵּן, quae in nostro esset repetenda, vel minimum vim adhuc exercere posset suam. Cum autem in medio versus verba יסלה-נא non repetitur, vbi tamen maxime erat necessarium, si interrogatiue sumi deberent, quoniam particula נא tunc tantum interrogationem admittit, si לא praecedentem habet, sicuti in vers. antec. וּלֹא יִתֵּן נא, alias
verc

vero plerumque vim obsecrandi vel adhortandi
 prodit: reputo, in initio versus interrogationem
 suppleri nequire obstante nexu; nam altera pars
 huius versus est emphatica repetitio eius, quod
 in priori erat propositum. His rationibus ducti
 alterum istud momentum probare nescimus. Potius
 verba sunt vertenda indicatiue: *propter hanc rem
 parcet Iehoua seruo tuo.* Tertium tandem et eius-
 modi est, vt explicationem de futuro difficiliorem
 reddat. In se quidem spectata actio Naamanis
 peccati nomen non meretur, inde nec damnanda
 a propheta; cum vero oculis aliorum, licet tales
 fuerint, qui secus ac iustum aequumue erat, de
 ea iudicarent, ceu tale obuersaretur et ita speciem
 peccati haberet, nullo modo istuc induci possum,
 qui credam, Elisaeum ei digne respondisse. Eun-
 dem zelum quem Paulus prodidit et quem Chri-
 stianis suafit, vt omnem mali speciem vitare et
 nemo alteri scandalum exhibere debeat, in Elisaeo
 quoque cogito. Hic vero zelus desideraretur, si
 tibi concipis, tanta cum lenitate prophetam in-
 dulnisse facto, ad quod alii impingere et maximum
 reportare detrimentum adeo facile poterant, quanta
 ex responsione eius fluit. Qui nobis aduersum
 tenent, sentiunt hanc difficultatem. Illi remo-
 uendae

uendae omnem nauant operam; per quascunque vero tendant ambages et in quascunque se recipiant latebras, nullibi tuti euadent.

Reiicimus itaque explicationem horum verborum de futuro, communiter receptam. Vide sis iamiam, nostrane an haec difficilioribus sit implicita tricis? Ad hanc funditus delendam argumenta et producere potuiffemus de explicatione nostra prioris illius petitionis desumta: tanto magis, quod contrariantes quoque suae maxime receptae prioris petitionis explicationi, scil. de altari ex terra Israelitica extruendo, hanc posterioris inaedificarunt, afferentes, quod propheta facile condonare potuiffet Naamanem facto hoc, quum iam alias, videlicet in isto altari testatum iuiffet, qui deus ab ipso colatur: ea tamen ne eminus quidem attigimus, contenti eorum armis fractis. Sicuti nos etiam ferre nolumus et ab altera parte stantibus condonare, vt sua asserta eiusmodi explicationibus locorum vexatorum, vbiuis gentium nondum receptis firment: ita et eiusmodi quid nobismet ipsis permittere haud sumus ausi.

Quibus omnibus praemissis habeto nunc explicationem omnem verborum exploratorum. En illam: *Nonne dabitur quaeſo ſeruo tuo tantum terrae*

terrae, quantum duobus mulis ferendis sufficit; nam non faciet in posterum seruus tuus holocaustum aut sacrificium diis alienis, nisi Iehouae. Propterea quoque condonabit Iehoua seruo tuo id, cum iret dominus meus in fanum Rimmonis ad adorandum ibi, et innixus esset manu mea, ego adoravi quoque in fano Rimmonis: cum adorauerim in fano Rimmonis condonet quaeso! Iehoua seruo tuo, propter istam rem, inquam, condonet.

Ne nimis anxie rem meam agere, hincque causae suspicionem malae excitare videar, sufficiant haec de petitionibus Naamanis dicta: paucis tangamus [ea, quae ad responsionem, qua Propheta eum a se dimisit, pertinent. Est haec: **לְךָ לְשֵׁלֹם**. Concessiuam approbantem esse iunctam cum voto omnigenae felicitatis, ex aliis locis, vbi occurrit, clarum est. Credimus itaque, quod Elisaeus petitionem Syro concesserit. Idem est ac si dixisset: fiat, quod petiisti, et deus tibi bene vertat!

Itane Naaman ex Syria demigrans domicilium posuit in Iudaea? forsan affirmandum erit. Ara eius apud Syros deleta, nulla est ratio, quare potius in Syria, ac in Iudaea habitasse dicatur. Omnes quidem commentatores eum adhuc ibi ver-

D

fan-

stantem describunt; omnes vero et ad hanc opinionem sunt ducti eodem moti elatere. Firma eis stabat sententia, quod terram secum deportasset ex Iudaea in Syriam ad usum quendam sacrum; propterea non poterant non eum quoque ibidem relinquere per totum reliquum temporis vitae spatium. Ego vero, cum in aliam transferim sententiam, hoc minime habeo necessum. Si enim locum nostrum explicitum praetergredior, in tota Naamanis historia nullum reperio indicium, unde colligere possem, quod regis Syriae in officiis esse perrexerit; potius, quod defierit, si, quod cap. VIII, de rege Ben-hadad memoriae traditum est, sub examen voco, inducor. Ad negotium, quod rex Hafaëli mandabat apud Elisaeum tractandum, vix alius quisquam adeo idoneus erat ac Naaman, regi carus ac Prophetae valde notus. Verum quidem est, singulari quadam diuina directione esse factum, ut Hafaël mitteretur, utpote qui ipse a propheta certior fieri debebat de eo, quod apud omniscium super ipso erat decretum. Cum vero ex libero regis arbitrio pependisse videtur, quem mittere vellet; quod de Naamane, si adhuc eius ministris adnumerabatur, ne cogitauerit quidem, mirum est.

Ex

Ex lege vero agraria a Mose lata non solum omnis terra inter Israelitas erat dispersita, sed etiam vetitum, ut quis plenum dominium fundi sui transferret in alium; hinc difficultas nascitur, unde propheta agrum Naamani assignandum sumferit? Nec hoc Apolline eget. Lex ista, sicuti eiusmodi aliae, non est sine exceptione. Omnino Iudaeis licitum erat a patribus haereditatis iure acceptum fundum vendere usque ad celebritatem anni Iubilaei. Exinde iam responsum absque opera magna depromere possemus; non tamen urgebimus. Alium potius sequemur ducem, qui bona fama, quae omnium nunc de eo infidet animis, tanto magis eiusmodi rerum est vindex, quanto maiori studio eis diiudicandis tempus oleumque adhibuit. *Maimonides* Iudaeus, qui primus solusque in illa gente recte intellexit, quid sit, non ineptire, cuius lucubrationibus igitur multum ponderis inest, apud *Cunaeum* l. c. L. I. c. 7. ita: *In aliis regionibus, quas armis subigunt reges, quidam Israelitici, non deterior est sacerdotum et Levitarum conditio, quam ceterorum Hebraeorum;* loquitur nempe ante de agrorum possessionumque diuisione. Nil ultra! Applicatio est adeo prona,

vt

vt iudicio aliorum quid praeripuisse aestimari possim, si prolixior euaderem.

Concedamus vero quoque, quod hoc assertum fundamento nitatur, cui haud fidere possis; attamen nostra nondum destruitur explicatio. Sit, quod Naaman ceu ante, ita postea quoque apud Syros habitauerit; petitionem tamen istam apud Elifaeum facere potuit. Cum petitionem declararet, fixe ipsi infidebat animo domicilium mutare istucque penates transferrere, vbi cultui, ab ipso deo, quem mente adorabat, praescripto, propior erat, eiusque ceremoniis obseruandis maius studium nauandi plena gaudebat libertate. Verum cum patriam reuerteretur, haec ab initio sententia firma, diuersimode infringi potuit obstaculis multis, quorum non meminerat, confluentibus. Forfan rex eum hoc facere vetuit; forfan familia eum comitari noluit; forfan qua solum patrium cunctos ducit, dulcedine ac opibus domesticis optime ibidem stantibus retentus est; ac multa eiusmodi alia propositum missum faciendi causam nectere potuerunt. Omnia tamen haec minime obstant, quo minus propheta ei, quod petierat, concedere non debuisset. Et enim responsio eius tuncummodo quadrare debebat

bat

bat ad petitionem factam; minime vero ad modum, quo Syrus eam esset expleturus; tanto magis, quod propheta non ignorabat, Naamanem in ipsa Syria verum Profelytum agere posse, si modo ceu talis viueret.

Ad confirmationem eorum, quae huc vsque afferui, sequentia adhuc erunt addenda. Absoluta ista explicatione, eam cum reuerendo Dno. *Th. Benj. Bobbe*, Pastore Dessauensi ad St. Georgii meritissimo, viro, sicuti in aliis, ita in philologicis haud vulgariter versato, auunculo facile optimo, communicabam cum precibus, vt eam rigorose taxaret et quae ipsi super illam notanda viderentur, me haud celaret. Votis meis satisfactorius, quamuis grauioribus indefinenter distractus sit occupationibus, vir iste amabilis illi perlegendae aliquid tamen temporis infumfit. Animaduersiones, quas adscribendas necesse est ratus hic annecto: id quod non absque eius fit pace. Licet inuitus quidem permiserit, precibus tamen meis postulatus tandem condonauit; quia, vt ego putaram, meis antea prolatis exinde lux clarior suffunditur. His animaduersionibus iunxi ea, quae illis auertendis suffectura credideram: En ergo, certamen ami-

cum, et dirime! ab exercitato vinci non vituperio ducitur.

I. Notat ad paginam 16. n. 1. Quod fideles ante legem altaria aedificauerint ad sacrificandum, siue monumenta erexerint ad memoriam beneficii diuini cuiusdam conseruandam, liquet ex Iacobi Patriarchae exemplo Gen. XXVIII, 18. Idem fecit ante eum Noah mole aquarum dissipata VIII, 20. Nullus tunc temporis locus erat determinatus. Quare igitur Naamani Syro non licuisset altare, siue monumentum aliquod erigere in memoriam beneficii a deo sibi collati? posito sed non concessio, quod illicitum illi fuisset altare exstruere, attamen factum hoc non rigoroſe diiudicandum: quia ex infirmitate non temeritate egisse et bono zelo commotus, fideles patriarchas imitatus fuisse censendus est.

Duplex hic obiectio mihi struitur, 1) quod Naamani licuerit monumentum aliquod erigere in memoriam etc. quoniam patriarchis id facere licitum fuerit. Contra haec nota: α) Tempore Patriarcharum sub Oeconomia promissionis fideles nondum habebant locum determinatum, quo cultum diuinum eos exercere oportebat; aliter erat sub Oeconomia legis, in qua Naaman vixit. β) Si
Pa-

Patriarchae eiusmodi monumentum erigebant, in eo ipso fiebat loco, quo res, cuius in memoriam erigendum erat, acciderat, ceu exemplum Iacobi, quod profertur, docet. Si igitur Naamani licuisset eiusmodi quid facere, potius in terra Israelitica, vbi sanatus fuerat, quam in vlla alia facere debuisset. Verum nec hoc ipsi licitum erat, quoniam cultus, in quo sacrificia afferebantur et cuiusmodi Naaman exhibere volebat, 2 Reg. V, 17. nisi Hierosolymis fiebat, erat prohibitus. 2) Quod Naaman non rigorose sit taxandus, quoniam ex infirmitate etc. At propheta, qui rigorem Oeconomiae, sub qua vivebat, nouerat, hanc profelyti sui infirmitatem minime pati potuisset. Nos Christiani in ea condonanda faciles esse possemus, nam eam diiudicemus ex Ioh. IV, 2. 3; non itidem vero Iudaei sub lege, qui certo loco erant adstricti et sub ceremoniis gemebant, quae nullam patiebantur exceptionem.

II. Ad pag. eand. n. 2. monet. Quod sacrificia patriarcharum fuerint instituti humani secundum hypothesin, quae a Spencero maxime est propugnata, plane falsum est. Sententia ab omnibus orthodoxis theologis defenditur: quod

primi homines deo sacrificia obtulerint praeuia reuelatione voluntatis diuinae ratione cultus; ideo Abel dicitur *fide obtulisse* Ebr. XI, 4. fides autem non est ex naturali hominum dictamine, sed praesupponit verbum dei reuelatum, quod inde a primis parentibus ad filios per institutionem publicam et priuatam transit. vid. *Rivetus* in cap. IV. Gen. exercit. XLII, p. 171. b. *Heideggerus* in hist. patriarch. Exerc. III. p. 104. §. LI. et seqq. *Mommsen* in Oeconom. Patriarch. vbi hypothesis Spenceri fusius refellitur.

Neutram partem eorum, qui de hac materia disputant, defendendam sumo. Vtriusque argumenta, si aequa lance ponderentur, paria reputanda erunt. Potius igitur cum *Outramo* sceptice me expressi, quam quod quicquam pro certo affirmauerim. Locus Ebr. XI, 4. qui Anti-Spencerianorum est palladium, mihi quidem non adeo euidens videtur pro ipsorum causa. Ceterum quoniam nec in *Spenceri* fauorem hanc litem dirimere audeam, ex istius tamen sententia hoc pro meo asserto assumi potest: Tempus, locus, materia etc. sacrificiorum patriarchalium erant instituti humani (quod esse potest, salua sententia, deum sibi sacrificari debere express-

preffe praecepisse vel alio quocunque modo instituisse), non autem sub lege, vbi omnes istae circumstantiae erant definitae ac minutissime obseruandae.

III. Ad pag. 17. n. 3. ita: Etsi secundum legem diuinam concederem, quod Naaman illam non obseruauerit; attamen vt recens profelytus non rigoroſe taxandus est, sed potius ratione fidei adhuc imbecillis excusandus minime autem spernendus: id quod docet exemplum Pauli, qui cum illis, qui ex Iudaeis fidem Christianam assumferant, et adhuc multa ex lege Mosaica obseruabant, non acri certamine coibat, sed multa cum euangelio et veritate in Christo pugnancia tolerabat. vid. Rom. XIV.

Refer huc quae iam ante (I. 2.) notauimus; et perpende, quod Christiani de quibus l. c. agit, valde discrepauerint a Naamane nostro. Res in quibus Apostolus illos Christianos tolerabat, non erant, ceu dicis, pugnantes cum euangelio et veritate in Christo. Christianis omnis cibus est purus; hinc et caro, licet quoque ab idololatriſ diis suis fuerit immolata, vid. I Cor. VIII. Iſta vesebantur, non ceu εἰδωλοθύτω non ceu sacrificio idolis oblato, sed ceu carne qualibet

alia mactata. Et sic omnis alius cibus eis est purus, quamuis in lege ceremoniali prohibitus fuerit: scandalum itaque, quod nonnullos vtriusque partis afficiebat, non erat datum, sed acceptum. Nos Christiani adhuc edimus carnem a lanione Iudaico cum omnibus ceremoniis adhibitis mactatam; nec de ea pungimur conscientia. De hac re Christianis nulla est lex, ergo nec obligatio, sed libertas eligendi. Idem et dicendum est de diebus sacris. Nullibi nec in euangelis, nec in actis epistolisue Apostolorum super his quicquam est constitutum. Propterea nec Paulus quenquam Christianorum damnare poterat. Omnes dies Christianis sunt sacri, et ab ipsorum pendet arbitrio, alterum prae altero seligere, in quo profanis omissis studiis tantummodo vacent sacris. Vide ergo, num eiusmodi exemplum quoddam ab illis Christianis mutuatum cadat in nostrum Naamanem, et an propheta ipsi condonare potuerit, si in terra extera altare, in quo deo Israelis sacrificaret, exstruere animo voluebat. Hoc pugnasset contra expressas leges iudaicas. Has Syrus quidem ex imbecillitate violare, propheta autem id intelligens, salua conscientia, vt faceret, ei permittere nequaquam po-

po-

potuisset. Arctiores forsan essent angustiae, quibus premerer, si dubium mihi struxisses ex circumcissione a Christianis primis adhuc exercita Act. XV. et a Paulo ipso in Timotheo perpetrata c. XV. Attamen spero, fore, vt exinde quoque me extricassem.

IV. ad pag. 23. obseruauit: quod נָשׂוּי veritas per *alere* et prouoces ad Gen. XIII, 6. cum quo XXXVI, 7. conferri potest. Verum enim vero in S. Script. haec significatio non inuenitur, nec ex loco allegato probari potest: contrarium potius exinde liquet; nam praedicatum נָשׂוּי non solum relationem habet ad armenta Abrahami et Lothi, vt subiectum, sed etiam ad Abrahamum et Lothum ipsos et omnes substantias, facultates, diuitias, animas, quas acquisiuerant, cfr. XII, 5. quae subiecta non admittunt praedicatum alere. In ea sum sententia, in loco Gen. XIII, 6. inueniri locutionem hyperbolicam in sacris literis vsitatissimam, qua indicatur, diuitias Abrahami et Lothi tantas fuisse, vt terra illas vix ferre potuerit: similem hyperbolicam descriptionem diuitiarum inuenimus 2. Chron. I, 15. in specie autem hyperbolica phrasibus Gen. XIII, 6. illustrari potest ex Ioh. XXI,

25. vbi Iohannes hyperbolice dicit: quod totus mundus non capere possit libros, si per singulas circumstantias et omnia omnino Christi dicta et facta conscripta fuissent. Plures locutiones hyperbolicas exhibet *Glassius*. *Ainsworthus* verbum נשׂו non de alimento sed capacitate loci intelligit, et prouocat ad versionem LXX; vid. eius Aantekeningen over Gen. XIII, 6. conferri potest locus Amos. VII, 10.

In his obseruationibus adstruit vir doctissimus, 1.) Verbum נשׂו non posse verti, *alere* in loco Gen XIII, 6. 2.) In loco cit. esse locutionem hyperbolicam, 3.) LXX interpretes meae versioni non correspondere. Ad quodlibet horum momentorum quaedam regeremus. Primum, si reputas, verbum נשׂו nequire significare *alere*, quia non solum praedicatur de armentis, sed etiam de personis ipsis, de earum substantiis, sequentia nota: Hic valere canonem, quem Tu ipse post produxisti, scilicet, vnum praedicatum in eodem com. duplicem admittere sensum secundum diuersa subiecta, de quibus praedicatur. Deinde ne egemus quidem huius regulae. Contextus enim docet, hic sermonem esse de armentis solis, non de personis earumque diuitiis aliis; certe

certe docet, quod praedicatum נשן maxime ad armenta fit referendum. Vs. 2. 5. de armentis Abrahami et Lothi sermo est; de his in primo membro vs. 6. dicitur quod terra non ferat ea. Exinde facer scriptor concludit, quod Abrahamus et Lothus non potuerint habitare in vno loco, et hoc exprimit in altero membro verbis ולא יכלו &c. Infuper et notandum est, רכושם praepriis tantum dici de substantiis pecudis, cfr. XII, 5. XIV, 21. vbi רכוש expresse contradistinguitur personis et restringitur ad pecora. Tandem respice finem, quem intendit auctor Gen. XIII. Causam prodit, quare Abrahamus et Lothus sese separauerint alter ab altero; et causa haec est, quod vterque diues pecore erat. Inde oriebatur lis iurgiumque inter ipsorum pastores. Quam vt dirimerent, Abrahamus Lotho dicebat: noli pati litigare fratres, terra magna patet, separemus nos! Iam quaeritur, qua de re litigarint inuicem pastores? Procul dubio de pascuis. Quoniam in vno loco degebant; greges quoque ipsorum habebant agros compascuos. Iura compascua vero semper habent augentque lites alternaque iurgia inter pastores. Numerus gregis duplicis erat nimius, quam

quam

quam ut fati pabuli in iisdem pascuis habuissent; hinc illa iurgia.

Secundo; locum Gen. XIII, 6. hyperbolice esse intelligendum, ita, ut indicetur, diuitias Abrahami et Lothi tantas fuisse, ut terra illas vix ferre potuerit. Verum, a) non hyperbolice, sed reuera tantae erant: nam Lothus cogebatur in alium secedere locum, quoniam terra ista vtrumque ferre non poterat. b) Eiusmodi hyperbole vix assumi poterit in relatione historica, qualis hic est, vbi causa datur, quare hoc vel illud factum sit? c) In toto Pentateucho Mosen eiusmodi hyperbolas vitasse credo. Ubique est narratio historica, quae eiusmodi difficile patitur. Vix exemplum in contrarium adduci poterit. Quod profers ex Gen. XXXVI, 7. mihi suffragatur: nam nil clarius ibidem video, quam hoc: Iacobum et Esauum in vno loco subsistere non potuisse, quia illis tanta erat pecoris copia, quantam alere non possent, si in vno loco habitarent. Nec ex aliis libris historicis exemplum afferri poterit; I Reg. XX, 10. tale quidem inueniri videtur: sed non est. Thraonica regis Syriae verba ad regem Israelis tantum produntur memoriae. Simile quid notandum est ad loca

Gen.

Gen. XI, 4. 2 Reg. XIX, 24. nam locutiones hyperbolicae, quae ibi occurrunt, non sunt verba historici, sed aliarum personarum, quas per prosopopoeiam sistit. Exemplum 2. Chronic. I, 15. hyperbolen quidem habet, sed tantum in comparatione. Locus Io. XXI, 25. nec suadet hyperbolen. Si χωρησαι exponitur per νοησαι, *mente capere*, secundum Theophylactum, coll. Matth. XIX, 11. 12. et si per κοσμος metonymice intelliguntur *homines*, et per βιβλια id, quod in libris continetur: omnis hyperbole erit suppressa. In fine citas adhuc aliud exemplum ex Amos. VII, 10. Verum, si hic, loco hyperboles in להכיל assumas metaphoram et verba ita explices, ceu quoque vs. seq. suadet: *verba eius ominantur huic terrae malum*, planior erit sensus.

Tertio; Si cum Ainswortho prouocas ad LXX interpretes, qui נשן non de alimentis sed de capacitate loci intelligendum volnerunt; obseruatum est iamiam aliis viris doctis, horum versioni non adeo confidenter esse credendum, si verum sensum hebraicae cuiusdam vocis expiscari volumus: maxime in locutionibus tropicis, vbi saepe, quoniam verum sensum inuenire non po-
te-

terant, in versione sua alium admiserunt tropum, qui cum hebraico minime ad amissum est factus. Si confero locum parallelum Gen. XXXVI, 7. in hac opinione confirmor. Ipsi sese produnt; נשן, quod priori loco per χωρειν tradiderunt, hic verterunt per φερειν. Si securi fuissent, quod χωρειν haberet vim vocis נשן, absque dubio hic quoque retinuisissent eundem terminum χωρειν loco φερειν.

V. pag. 42. n. I Notum est apud Hebraeos, vnum tempus verborum pro altero vsurpari. vid. *Glossius* in Philol. S. L. III. Tr. III. can. XLVI.

Hoc quidem nemo inficias poterit ire; sed ista regula huc non pertinet. Dixeram, quod Grammaticae plus faueat praeterito quam futuro, in explicandis scilicet verbis כבא &c. Si quaestio esset de verbis נשען et השתחותי, omnino regula citata adhiberi posset; sed quaeritur de כבא, qui sit vertendum? per praeteritum an per futurum? Per se non clarum est, sed determinandum ex verbo subsequente. Cum igitur duplex verbum praeteriti temporis sequatur, exinde concluditur, quod et כבא per praeteritum sit vertendum.

VI. ad pag. eand. n. 2. Omnino in S. Script. vni termino diuersi significatus adscribi possunt, imo debent: minime autem in enunciatione simplici, sed composita seu coniuncta, vbi plura subiecta alia et diuersa praedicata postulant, quae talia sint, qualia a suis subiectis esse permittuntur; e. g. Ioel: II, 13. dicitur קרעו *scindite* cor vestrum, non *scindite* vestimenta vestra. Hic verbum *scindite* secundum duplex subiectum duplicem etiam habet significatum; vid. *Glassius* in Philol. S. L. II. P. I. Tr. II. Sect. I. Art. III. can. II. Inde sequitur, incuruationem hoc l. secundum duplex subiectum duplicem etiam admittere significatum, et tam de incuruatione religiosa, quam physica intelligi posse.

שחח significat, *incuruauit se*, Ies. LI, 23. In coniugatione Hitpahel pro incuruatione religiosa sumitur, in quo significato actus incuruandi physicus includitur. Obseruatum iam est: significationem vnus coniugationis a significatione alterius non semper discrepare. In aprico est, Syrum nostrum de incuruatione physica ratione sui loqui, opposita incuruationi domini sui religiosae. Mos erat apud Persas, Hebraeos et Syros

E

re-

regum, feruorum manibus et humeris inniti. Sic produnt S. litterae de Ioramo, rege Samariae, innixo manibus cuiusdam ducis. 2 Reg. VII, 2. 17. Id quod etiam Naaman Syrus testatur ratione domini sui: Quando igitur ille se religiose in templo Rimmon incuruabat, et humeris manibusque suis innitebatur, cum domino suo stante stare, cum ambulante ambulare, cum genua flectente genua flectere, cum procumbente ipse quoque procumbere opus habebat; vid. *Fesselius* in aduerfar. S. L. I. c. XIX. p. 89. seq. cfr. S. *Amama* bybelsche conferentie 2 Reg. V, 18. et *Burmanni* bibelsche Werke über 2. Reg. V, 17. 18. Talis incuruatio physica et feruilis Naamani minime vitio verti poterat. Saltem scandalum erat acceptum, non datum.

Varia hic obseruantur a V. doctiff. ad terminum השתחות, vtrum respectu Naamanis significet actum religiosum physicumne? Notat: 1) vnum idemque praedicatum secundum duplex subiectum duplicem quoque admittere significatum in eodem commate: id exemplo Ioelis illustratur. Quantum vero ex hoc exemplo coniici potest, canon iste id sibi vult: vnum praedicatum

catum

catum proprium et improprium admittere significatum, si coniunctum est cum duobus subiectis, quorum alteri proprius accommodari potest significatus, alteri improprius. Ex subiectis itaque significatio praedicti est determinanda. Sic in loco Ioelis, ubi, simul ut scopum prophetae considerem, cerno, terminum קרע respectu cordis metaphoricam requirere significationem, respectu vestimentorum autem propriam. Aliter est in nostro השתחות, id praedicatur de duobus subiectis, rege Naamanis et Naamane ipso. Si igitur citata regula Glassii me ferire deberet; haec duo momenta essent in apicem ponenda: primum, verbum השתחות habere duplicem significatum, proprium et improprium; secundum, subiecta, de quibus praedicatur, per se ostendere, num verbum istud proprie an improprie sit sumendum? Vtrumque vero non potest. Verbum simplicem habet metaphoricam significationem in coniugato: Hitpahel, *procumbere*, siue, *adorare*. Ex obiectis, coram quibus iste procubitus fit, definitur, num actus sit religiosus an civilis. Ergo eiusmodi duplex significatus, qualem regula ista requirit

et datum exemplum Ioelis exhibet, huc nequidem inuenitur. Sed faciles simus. Sit, quod ista regula ita extendi possit, vt et valeat de praedicatis, quae mox actionem religiosam, mox ciuilem indicant; et quod igitur hocce modo sit formanda: praedicatum, quod actum religiosum et ciuilem indicat, potest in vno eodemque commate vtrumque admittere significatum, si duobus subiectis est iunctum, quae pro diuersitate sua alterum religiosum, alterum ciuilem actum requirunt; probandum esset, duo subiecta in nostro loco id facere. Vide iam, quid de nostris subiectis, rege et Naamane asserere fas sit? Vterque adorat; de rege clarum est, quod eius procubitus sit religiosus, et quod igitur ratione ipsius verbum disceptatum significet actum religiosum. At de Naamane? dubium est. Vterque actus de eo dici potest: ex fine historici igitur est determinandum, vter ei conueniat? Ego quidem cum igitur existimem, quod satis causarum adduxerim, potius religiosum actum de eo affirmari debere, quam ciuilem, exinde concludo.

2. Quo-

2) Quoniam asserui, si et verbum, de quo sermo est, actum civilem admitteret de Naamane, quod tamen non talem patiatur, qualem regi praestitisse est reputandus; utpote qui actus est feruilis, consistens in eo circa, quod regem suffultis humeris suis sustentasset atque subleuasset, qui diuersus est ab eo, quem verbum istud indicat, quando de actu civili adhibetur, notauit: verbum שחה in conj. Kal habere significatum, *incuruare se*, et Hebraeos vnus coniugationis significationem ab altera non semper discernere. Haec obiectio vero mihi non adeo obstabit, si perpenditur: regulam *Glaffii* tantum quadrare in eiusmodi verba, quae eandem significationem habent in coniugationibus, quarum vna pro altera ponitur. Exempla a *Glaffio* producta consentiunt; התנבא in Kal et Hitpahel ideam *re* prophetare nobis sistit, et sic porro in aliis cit. locis. Eiusmodi coniugationes itaque, aliae aliis substitui possunt, quoniam idea vnus eiusque rei nobis remanet. Ad verbum שחה haec regula num applicari possit, age videamus. In Kal significat *incuruare se* et vsurpatur de quacunque incuruatione et depreffione corporis. In
Hitpa-



Hitpahel quoque significat *incuruare se*; verum restringitur ad incuruationem, quae fit adorando coram deo vel coram hominibus honoris et reuerentiae ergo. Ista significatio in Kal est genus; in Hitpahel est species. Si itaque in nostro loco hae coniugationes inter se commutatae essent, species pro genere posita fuisset, quod nusquam libri, salvo sensu, fieri licitum est.



Exeg. B 1158

